

P A R  
THEOLOGIAE TRIVMVIORVM  
INVICEM CONTENDIT

AC  
NATALIS CCV.  
GYMNASII HALLENSIS  
EVANGEL. LVTHER.

SOLLEMNIA  
ACTV ORATORIO  
A. MDCCLXX.

A. D. XXVIII. AVGVSTI HORA. II. POMER.  
MORE MAIORVM  
PERAGENDA

AMPLISSIMIS PATRONIS ET FAVORIBVS  
SCHOLAE PATRIAE

VENERABVND0 CALAMO  
ADVNTIAT

IOH. GOTTOFR. TAVST,  
R E C T O R.



HALLAE MAGDEBVRGICAE,  
IMPRESSVM IN OFFICINA FR. AVG. GRVNERTI.







iuilib litterariaeque reipublicae perlustrantes monumenta, quibusdam temporum periodis illustria quaedam vna effloruisse ingenia deprehendimus, quae aemula quadam sagacitate et industria maximam rerum vel ciuilium vel litterariorum catastrophem concitauerunt. Quid, quaeso, illustrius fuit in reipublica Romana Triumuiris illis, LEPIDO, ANTONIO ET OCTAVIANO? qui, post Dictatoris Caesaris caedem, inito Triumuirali foedere, sub titulo Reipublicae Romanae corrigendae constituendaeque, iudice Plutarcho, imperium orbis terrarum perinde occupatum inter sese diuisere, quasi hereditate paterna ipsis esset relictum; quorum tamen discordia suprema potestas in vnum deuoluta est OCTAVIANVM AVGVSTVM, monarchiae Romanae conditorem. Habuere jam ante hos *Philosophorum* in Graecia. scholae illustria *triumvirorum* SOCRATIS, PLATONIS, ARISTOTELIS ingenia, quae, aetate conjuncta, virium suarum contentione, maximam sibi conciliauerunt in viuis auctoritatem, apud posteros famam; quorum postremus quamdam quasi *Philosophiae Peripateticae monarchiam* quam diuissime duraturam condidit. Eodem fere tempore excellere *Oratorum Graecorum* illi triumuiri, *eloquentiae illud fulmen* PERICLES, *Siren illa Attica* ISOCRATES, et acerrimus ille *Graeciae libertatis defensor* DEMOSTHENES. In ipsa denique *arte Poetica*, Augusteo aeuo, pari ingenii acumine famaeque claritate principatum aemula industria sibi comparauerunt VIRGILIUS, HORATIUS ET OVIDIUS. Sed missis his, ad *sanctiorem* conuertimur *disciplinam*, et ex historia sacra saeculi decimi nostrorumque temporum, *sacrae Theologiae triumvirorum* par ita contendemus inuicem, vt inde elucescat, obscurissimis licet rei christianae temporibus, ingenia tamen ceteris illustriora eminuisset, quae, quominus temporum nostrorum assequerentur claritatem, sola saeculi sui infelicitate fuerint impedita: *nobilissimis vero Theologiae triumuiris*, praesentis aevi, rei litterariae augustam faciem immortalem praec illis palmam conciliauisset, Fulgebant nimirum saeculo, a Christo nato, decimo tertio, velut inter ignes luna minores, nomina ALBERTI MAGNI, THOMAE AQUINATIS ET IOHANNIS BONAVENTURAE. Nostri vero saeculi decennium, ab anno quinquagesimo quinto ad annum sexagesimum quintum, in MOSHEMIO, BAYMGARTIO ET PFAFFIO ejusmodi *Theologiae triumuiros* amisit, quos

histo-





historia sacra noui foederis, continuatione sexta, parte I. p. 273. summis celeberrimisque Theologiae doctoribus accensuit. Vtrorumque igitur eruditioni meritisque de christiana religione vt iustum statuatur praerium, operam dabimus, sanctiorum humaniorumque litterarum aeui illius medii praemittendae faciei, in quod *Albertus, Thomas et Bonauentura* incidit. Destructo saec. VI. VII. IIX. barbararum gentium incurfionibus occidentali imperio, litterae vtracque maximam partem inter occidentales Christianos exoleuere, et foeda magis magisque successit ignorantia. Tenuissimis litterarum reliquiis vnicum patebat asyllum in episcoporum cathedralibus et monasterialibus coenobiorum scholis. Sed ex vtrisque *Hieronimi et Gregorii Magni* praeiudicio cum paganis scriptoribus omnis elegantioris doctrinae fontes proferiebantur. Aucta per eundem caerimoniarum patrem in sacris latinis rituum formularumque ac feriarum multitudo sacrarum litterarum studium tantum non penitus opprimebat. Quo rei christianae defectu cognito, occidentalis imperii restaurator CAROLVS M. vtrarumque litterarum studia in his scholis restaurare totis ingenii viribus contendebat, datis ad BAUGVLFVM, *Fuldae Abbatem omnesque Episcopos* generalibus litteris, in KEUFFELII *historia scholarum* p. 161 sqq. expressis. Quare in quibusdam harum scholarum eae quodammodo, sed breuiter admodum saeculo nono reflorescebant. Angebatur quidem saec. IX et X. teste TRITHEMIO, in *chronico Hirsaugiensi* ad ann. 952. numerus harum scholarum, quarum longum in Germania Galliaque textit catalogum, earumque consuetudinem ita describit, vt eae *academiarum* partes, ipsarum *doctores*, nomine SCHOLASTICI, *professorum*, MONACHI *studiosorum* vices sustinuisse videantur. Sed quo magis earum crescebat numerus, eo magis superstitione lucrosissima, ejusque filia luxuria, et vtriusque comite ignauia omnis eruditio sacra et profana adeo suffocabatur, vt saeculum X. iure meritoque historicis *obscurum ferreumque* nuncuparetur. Illae vero litterarum reliquiae, quae in monasticis scholis saec. X. XI. XII. colebantur, antiquis illis *septem liberalibus artibus* absoluebantur, GRAMMATICA, DIALECTICA, RHETORICA, MUSICA, ARITHMETICA, GEOMETRIA, ASTROLOGIA, quae vulgatis illis explicantur versibus:

GRAM. loquitur, DIA. vera docet, RHET. verba colorat.

MVS. canit, AR. numerat, GEO. ponderat, AST. colit astra.

Diuidebantur eae in TRIVIUM, grammaticam scilicet, dialecticam et rhetoricam; vnde triuiales scholae nomen habent, *sermocinales* eae dici solent:





et in *QVADRIVIVM* id est, Musicam, Arithmetica, Geometriam et Astrologiam, quae et *mathematicae* vocantur. Plerique in Triuio haerebant, pauci ad Quadriuium progrediebantur. His temporibus graeca didicisse suspectum, hebraica pene haereticum erat. Interea, dum orbi christianorum latino foeda meliorum litterarum imperitia incumberebat, inter Arabes seu Saracenos meliores artes florere coeperunt saeculo nono, auctore *ALMAMONE*, Babylonis et Aegypti Calipha, qui Philosophiae flagrans amore, per Christianos nonnullos ex Graecis, *Aristotelem* in arabicam linguam curabat transferendum. Principis exemplum philosophiae studio multi Arabum aemulabantur, qui illud in Europam propagabant, *Cordubaeque* et *Hispani* publice philosophiam Aristotelicam profitebantur. Horum exemplo vicini Christiani e lethargo suo excitabantur, ut suae ipsos taederet ignorantiae, hasque Arabum philosophicas frequentarent scholas. Inter hos praecipuus erat *GERBERTVS*, monachus Gallus, qui mathematicas illas artes insigni apud Saracenos excolebat industria, *Otonis III.* primum praceptor, deinde Praeful romanus factus, *SERGIVS SECVNDVS* dictus. Is Germanos, Gallos, Italos pari inflammabat studio. Hoc auctore praestantissimum illud rei arithmeticae compendium per cifras arabicas per omnem diuulgari coepit Europam. Iudice vero *MOSHEMIO*, in hist. eccl. p. 315. *omnis doctrinae Medicae, Philosophicae, Astronomicae, Mathematicae, quae a decimo saeculo in Europa floruit, Saraceni seu Arabes, Hispani maxime, praecipui parentes et auctores fuerunt.* In scholarum istarum triuio philosophia rationalis sola illa dialectica Aristotelica ab Arabibus accepta absoluebatur, quae regulis analyticis de veritatibus apodicticis neglectis, de veritatibus probabilibus tantum, more praeceptorum sophistarum, in vtramque partem affirmando et negando, ut vulgo dicitur, pro et contra, disceptabat. Duodecimo saeculo, cum tenues illae Theologiae reliquiae in his scholis, ex sacris haustae literis, novellis illis philosophiae Aristotelicae doctoribus scholasticis forderent, ingentem ea passa est metamorphosin. In quosdam enim communes digesta locos, cum patrum tum etiam philosophorum ea confirmari coepit sententiis; quam *PETRVS* maxime *LOMBARDVS* in artis redigisse formam existimatur, opere suo, cuius titulus est: *LIBER SENTENTIARVM SIC ET NON*, hoc est, more dialecticorum, affirmantium et negantium. De quo *TRIBBECHOVIUS* lib. de *Doctolib. scholast.* ita iudicat: *sordebat methodus antiqua Lombardo, quippe quae discipulos parum exerceret, quaestiorum itaque*

que





que et distinctionum ambagibus simplicitatem fidei supergressus, adeo difficilem reddidit Theologiam, ut quemadmodum Iuris formulæ non nisi a juris consultis, sic et fidei doctrina non nisi ab umbraticis magistris (h. e. scholasticis doctoribus) tradi atque explicari posset. Hi quatuor sententiarum libri communis illius magistri a sequentibus scholasticis, infinitis propemodum philosophicis commentariis recocti, ingenti auditorum multitudini summo cum applausu sunt appositi. Infans itaque Dialecticæ Metaphysicæque Aristotelicæ studium cum sæc. XII. etiam ad sacras applicaretur disciplinas, tandem, clarissimi BRUCKERI effato, monstrum illud philosophiæ et Theologiæ scholasticæ peperit, quod confusus inter se rationis et reuelationis principis, suffultum auctoritate doctorum, innumeris distinctionibus, præcisionibus, quæstionibus de maximi momenti argumentis theologicis ambigua disputatione differuit, et nouas periculosasque opiniones disseminauit. Eosdem natales theologiæ scholasticæ agnoscit IOH. CLERICVS in Art. crit. part. 2. sect. 2. cap. II. §. II. 12. his verbis: cum occidentales Christiani Aristotelis scripta terere, et admirari coepissent; tum quoque coeperunt Peripatetica dogmata miscere cum scripturæ decretis, atque ex illa mistura infinita consecraria deducere, quibus conflata est scholastica Theologia. Nec ipse purpuratus pater PALLAVICINVS hoc diffitetur, qui: absque Aristotele, inquit, caveremus multis articulis fidei. Nouum hoc theologiæ genus farragine terminorum barbarorum, abstractionibus, distinctionibusque ac quæstionibus spinosissimis et obscurissimis adeo scatebat, ut PETRVS MOLINAEVS in tractatu de pace animæ eorum theologiam spineæ Christi coronæ compararit: Doctores, inquit, scholastici, veluti Pilati milites antecellere voluissent, qui seruatoris capiti spineam imposuere coronam, doctrinam christianam spinis a capite ad calcem inuoluerunt, adeo quidem spissis, ut ipsimet diem vix ex obliquo intueri potuerint. Ingenia eorum labyrinthis sunt simillima. Extortum erat sæc. XI. XII. a præsulibus Romanis imperium in clericos, ordinesque sacros, manibus imperatorum, continuis anathematum fulminibus: suprema hierarchiæ romanæ potestas dictatibus Hildebrandinis et jure canonico eisdem erat vindicata, ut omnes sacrorum scholarumque antistites pontificum decretis ad nutum parere cogerentur. Huic monarchiæ sacrae stabiliendæ noua hæc theologia erat quam accommodatissima. Infinitæ nundinationes sacrorum aerarium, quod apostolicum vocabatur, attalicis cumulabant opibus. Sæc. XII. mo et XIII. o a laicis, quos vocant, literarum studia tanto magis

gis





gis in occidente negligebantur, quo magis flos iuventutis et ingentes exercitus per virumque saeculum aut in acerrimo illo bello Guelforum et Gibellinorum armis vacarent, aut expeditionibus cruce signatorum in Palaestina Sarcenis extorquenda essent occupati. Turbulenta haec rei christianae in occidente facies opportunissimam Praefulis Romanis praebat occasionem, fupremam rerum christianarum potestatem sibi vindicandi. Dogmata fidei a scriptura s. alienissima sub traditionum et infallibilitatis pontificiae palladio omnibus ordinibus obrudebantur, reliquiarum sanctorumque infinitus cultus, sumtuosissimarum caerimoniarum pompa obeundus, caecae et obnoxiae superstitioni praecipiebatur, vnde infiniti reditus sybariticis sacrificulorum expensis abunde sufficiebant, quorum plerique fastu, luxuria, libidine, ignorantia fercordiaque adeo distuebant, vt viri cordatiores, totam ciuitatem Romano-christianam a legibus pristinae Iesu Christi ecclesiae penitus descuiisse, publicis querelis lamentarentur; aut a corruptissimis Romanensium sacris facerent secessionem. Erant in fine saeculi duodecimi horum antesignani **ARNOLDVS** de **BRIXIA** et **PETRVS WALDVS**: quorum ille, cum affectis, intelligens, ex Pontificum clericorumque imensis opibus tot bella et calamitates publicas traxisse originem, publice docebat, Christi Apostolorumque exemplo ingentes illas opes possessionesque et imperii vsurpationes neutiquam ad ecclesiae pertinere iura; solam sacrorum potestatem, decimas elemosynasque absoluere antistitum sacrorum priuilegia: iure diuino terrarum imperia, opes prouinciasque solius magistratus politici subesse potestati. **PETRVS WALDVS** vero cum sodalibus Pontificem R. caput ecclesiae esse negabat: docebatque, solam scripturam s. omnia ad salutem scitu necessaria continere: huic traditiones humanas esse perniciosas: indulgentias romanas, sacrificia praesque pro mortuorum ex flammis purgatoris liberatione, nefandum ad auaritiam explendam esse commentum: sanctorum cultum inuocationemque esse idololatriam: solum baptismum coenamque dominicam genuinas esse diuinitusque mandatas sacras caerimonias. Quorum veritatis testium publica dogmata cum hierarchiae Romanae interitum minarentur, conuocatis conciliis, Lateranensi tercio anno 1179, et Veronensi 1184, a pontifice in haeticorum referebantur numerum, anathematisque feriebantur fulmine. Cum nihilominus numerus eorum in tractu Tolosano in dies crederet, instinctu Honorii III. Pont. M. exercitus 40000 cruce signatorum, duce Simone Montfortio, expugnata Burdigala, sexaginta Waldensium millia





millia immani crudelitate interemit. Quae dum geruntur, ecce! noua Pontificis R. cohors praetoria, velut e machina prodiit, monachorum scilicet mendicantium, DOMINICANORVM, auctore Dominico Guzmano et FRANCISCANORVM, Francisco Assisio. Vtrique vero horum fratrum cucullatorum ordini ab INNOCENTIO III. potestas haereticae, quam fingebat, prauitatis inquirendae extirpandaeque fuit demandata. Eam in rem ab eodem, concilio Lateranensi IV. anno 1215, receptio dogmatis de transubstantiatione inter articulos fidei, lex de confessione auriculari, et inprimis maxime sollemne anathema haeticorum Waldensium fuere decreta atque publicata, huiusque decreti executio praefulibus, terrarum dominis magistratibusque feuerissime ipsius concilii verbis fuit iniuncta, quae extant Tomo II. Iur. Canon. edit. Boehmerianae, column. 749. *Damnati de haeresi per saecularem iudicem puniuntur* — — *et bona haeticorum confiscantur.* et column. 750. *Potestates saeculares perpetuae vel temporales jurare tenentur, vniuersos haeticos, ab ecclesia damnatos, pro viribus exterminare: et temporalis dominus, non purgans terram suam haeticis, excommunicatur, et si perstiterit in excommunicatione per annum; nuntiatur Papae, qui fideles eius a iuramento absoluet, et ejus terram fidelibus exponet.* etc. additur breui post, *cruce signati, ad exterminationem haeticorum gaudent priuilegio concessa cruce signati in subsidium terrae sanctae.* Hoc Lateranense Innocentii decretum sequentibus verbis in Codice corporis Iur. Iust. est receptum, edit. Freyesleb. 1748. column. 64.

*Noua constitutio Friderici imperatoris etc.*

*Si vero dominus temporalis, requisitus et admonitus ab ecclesia, terram suam purgare neglexerit ab haeretica prauitate, post annum a tempore monitionis elapsum, terram ipsius exponimus catholicis occupandam, qui eam, exterminatis haeticis, absque vlla contradictione possideant, et in fidei puritate conferuent.* Qua receptione FRIDERICVS II. aduersarios in perniciem suam armavit, ICTI BALDI iudicio! Hujus authenticae auctoritate Pontifex Siciliae regnum Carolo Andegauensi donauit. Cum enim Fridericum haeticum declarasset, subditos ejus sacramento fidelitatis absoluit, priuilegia cruce signatorum hostibus ejus concessit. Quare mirum non est, vulgum ab imperatore et ejus heredibus defecisse, et arma aduersus eum corripuisse. Merito itaque Decretalis haec Iur. Can. et Authentica Iur. civ. fons et origo habetur omnis mali, quod Imperium Romanum, tempore interregni, ipso hoc saec. XIII. acerbissime adflixit. Haec igitur, vt in compendio repetam, tristissima temporis illius





lius fuit facies, haec litterarum medio scholasticorum aëvo fata. Optimi dicendi magistri, latini graecique auctores classici, scholis exulabant: summa latinitatis barbaries eas occupabat: graeca didicisse suspectum, hebraica nosse haereticum censebatur: Aristotelis dialectica, Saracenorum versionibus corrupta, et latinis inde factis translationibus longe corruptior, incredibili doctentium discitentiumque feruore in omnibus litterarum officinis exercebatur, et perpetuis altercationibus ac rixis de lana saepe caprina aures animosque obtundebat, et saeculo XIII. terminorum barbarorum, distinctionum quaestionumque illuue sacros oraculorum diuinorum fontes turbabat, ac genuinis hermeneuticae regulis, Philologiaeque subsidiis ex historia, geographia, chronologia et antiquitatibus sacris arteque critica sacra destituta, in ipsa theologiae adyta irrumpebat, quae huius ope ita effingebatur, prout rationes dominantis ecclesiae, maxime vero ordinis ecclesiastici, et capitis eius, Pontificis Romani, flagitabant, et innumeris distinctionibus notionibusque philosophicis, quaestionibus atque disputationibus replebatur, vt haec ancilla dominans pedissequam haberet doctrinam diuiniorum. Humaniorum itaque litterarum defectus, auctoritatis praecudium, corruptissima philosophiae conditio, caeca erga Pontificum imperia obedientia, facuissimum in dissentientes et oraculo romanò contradicentes fulmen, plus quam ferrei erant compedes, quibus erectiora ingenia intra carcerem durissimae seruitutis constringebantur. Quare quicquid obscuritatis et confusionis, quicquid superstitionis, quicquid errorum in his Theologiae scholasticae triumuiris deprehenditur, id omne temporis illius durissimae conditioni potius, quam ingenii illorum tribuendum est imbecillitati aut socordiae, quo per se pollebant satis acuto, et herculeis pene laboribus occupato, quo saeculi sui genium tantopere excedebant, vt aut inter miracula referrentur a sectatoribus suis, aut ab insulsa plebe magiae haberentur suspecti.

Primum ergo in hoc triumuiratu locum occupat communis illorum temporum magister, ALBERTVS MAGNVS, ex nobili Bolstadiensium gente Lauingae ad Danubium 1205 in lucem editus; in quo statim ab ineunte aetate emicuit adeo excellens ingenium, vt natura in eo fingendo, quid efficere possit, videatur experta. Cum enim Patauii Philosophiae Theologiaeque operam daret, id pertinaci consecutus est industria, vt parem non haberet inter sodales eruditione, sed omnes eruditionis fama quam longissime superaret. Qua de causa a recentioribus scriptoribus dici meruit saeculi sui VAR-





RO, clariff. vero REIMANNO dicitur GERMANORVM TRISMEGISTVS. Clariff. denique BRVCKERVS in iustit. Hist. Phil. p. m. 508. sequenti eum laude effert: *Fuit Albertus M. sua aetate summus, et inter commentatores Aristotelis dialecticos et metaphysicos primus; qui, cum dotibus animi praeditus esset excelsis, iudicio acri, diligentia indefessa, similem doctrina suo tempore non habuit.* Non minorem, sed longe maiorem apud coaetios ejus fuisse existimationem, Epitaphii ejus comprobatur inscriptio, quae Coloniae Agrippinae in Dominicanorum monasterio sequentibus versibus exprimitur:

*Phoenix Doctorum, paris expert, Philosophorum*

*Princeps doctorum, vas fundens dogma sacrorum,*

*Major Platone, et vix inferior Salomone.*

Tanta ingenii doctrinaeque suae fama factum est, ut muneribus praeficeretur clarissimis, quibus in vita sua, ad octoginta tres annos protracha, summo cum applausu praefuit. Munere enim Doctoris Theologiae Philosophiaeque functus perhibetur Coloniae, Hildesiae, Friburgi, Argentorati, Ratisbonae Parisisque, ac ingentem applaudentium auditorum docuit frequentiam; sectatoresque ejus *Albertistarum* ab eo traxere cognomen. Anno vero 1236 sui, id est Dominicanorum ordinis PROVINCIALIS per Germaniam fuit renunciatus, et ab ALEXANDRO IV. Romam euocatus, MAGISTER SACRI PALATII fuit constitutus. Pontificis vero VRBANI IV. auctoritate permotus, PRAESVLIS RATISBONENSIS munus suscepit anno 1260. Cui tamen non ultra triennium praefuit, sed anno 1263. ideo abdicavit, ut studiis absque interpellatione vacare posset, quae assiduis praelectionibus tantae scriptorum excoluit multitudine, ut vnus pene bibliothecam scripserit. Opera enim ejus, a monacho Petro Iammi Lugduni junctim 1651. edita, Tomis in folio XXI. constant. Vitium, quod ex saeculi sui genio traxit, fuit nimia Aristotelicae philosophiae existimatio, ob quam a nonnullis Aristotelis simia fuit appellatus, quam satis prodidit commentariis in plerosque Aristotelis libros, nimioque dialecticae ac metaphysicae Aristotelicae amore, eam theologiae immisecuit, Aristotelisque scripta verbo diuino aequans, ejus principia in intima theologiae adyta admisit. Quo morbo ejus commentarios in libros sacros et Lombardi sententias summanque Theologiae esse infectos vero est simillimum, cum scriptor coaevus Henricus Gaudauensis de scriptt. eccl. c. 23. p. 125. nec non Paulus Langius in chronico ad an. 1250 haec ei

B

objiciat





objiciat. Quemadmodum vero excelsa ingenia numquam angustis vnius disciplinae limitibus se includi sustinent, sed Polyhistorum ritu, vastos disciplinarum campos pervagantur: sic Albertus, praeter morem saeculi sui, non substituit in nudis illis dialecticis et metaphysicis subtilitatibus, sed naturalem philosophiam artesque mathematicas, nec non metallurgiam et lithologiam experientia duce est perscrutatus; inprimis mechanicae scientiae mirandum edidit specimen. Caput nimirum forma humana tanto construxisse artificio perhibetur, ut voces quasdam humano sono ederet. Cujus improvisa salutatione cum discipulus ejus Thomas Aquinas esset perterritus, impaeto fuste id confregisse dicitur; quo facto Albertus, triginta annorum perisse opus, fuerit conquestus. Neque minus Arithmeticae, Musicae, Geometriae, Astrologiae eruditione sua scriptisque illustravit. Paucis: Albertus vir fuit aetate sua summus, inexhaustae diligentiae, et meliori saeculo dignissimus, duobus vero discipulis suis, Thoma Aquinate et Johanne Bonaventura, iisdemque hujus saeculi nobilissimis triumviris multo magis nobilitatus.

Alter itaque Theologiae scholasticae Triumvir est THOMAS AQUINAS, Sixti senensis judicio Alberti magni major ipse discipulus, ex illustri comitum Aquinatum gente 1224 in lucem editus: qui, si Romanensium suffragiis fides habenda sit, DOCTOR fuit ANGELICVS, ipsorum Pontificum decretis vocatus *plusquam Salomon, interpres divinae voluntatis, matutinus Lucifer, quasi luna sapientia et moribus, et veluti sol oriens mundo*. Quem coeli Romanensis solem *Attelbergerus quidam Rettenbacherensis* in Panegyrico suo, per coeli duodecim decurrentem domos fingit, ostenditque, quid Hercules ille Theologorum in singulis duodecim signis, quolibet horum signorum dignum praestiterit. Quanto Thomas noster litterarum vitaeque monasticae flagrauerit amore, praecipua vitae ejus comprobabunt momenta. In Casinensium monasterio humaniorum litterarum imbutus elementis, Neapoli eorum temporum philosophiae aliquamdiu dedit operam, vitaeque tranquillioris amore anno 1243 in Dominicanorum transfuit castra, parentibus plane inuitis. Quem cum Dominicani sodales, matri subducturi, in Galliam deducere parentem, materno suasu a fratribus interceptus, paterno castro per biennium inclusus, cum maternis precibus flecti non posset, ut vitae valediceret monasticae, fuga tandem clam elapsus, Parisios primum, deinde Coloniam Agrippinam se contu-





contulit, vbi Alberto Magno philosophiae peripateticae et Theologiae scholasticae vsus est praeceptore, ejusque cum institutione, tum propria meditatione, tantam consecutus est eruditionis copiam, vt cum commilitone **BO-NAVENTURA** Parisiis anno 1255 Doctoris Theologiae gradu priuilegiisque exornaretur, compluribusque locis ingenti vndique confluentium auditorum multitudini, viua voce scriptisque, ingenii doctrinaeque suae thesauros exponeret animo recondendos. Qua egregia opera stupendoque labore summam inter suos ac tantum non canonicam sibi adquisiuit auctoritatem; qua contentus, summa modestia oblatam sibi a **CLEMENTE IV.** Pontifice R. Archiepiscopi Neapolitani dignitatem recusauit. Vocatus denique a Pontifice **GREGORIO X.** 1274 ad concilium Lugdunense secundum, vt ibi suum de Graecorum erroribus conscriptum librum recitaret, iter ingressus, in Fossae nouae, prope Tarracinam, monasterio, morbo correptus, anno aetatis quinquagesimo diem obiit supremum. Post obitum itaque sanctimoniae eruditionisque fama affectus est, vt a Pontifice, **IOHANNE XXII.** anno 1323. inter diuos, et a **PIO V.** anno 1565. inter celeberrimos illos ecclesiae Romanae Doctores, qui **PATRES** vocantur, relatus, quinto eorum loco collocaretur. Cujus in rem theologicam meritis ne plus iusto minusue tribuatur, virtutes ejus theologiae cum vitiis naeuisque collatae, existimationi ejus iustum statuatur pretium, erit necesse.

Primum itaque cl. **BRVCKERVS** in eo commendat *iudicandi aciem, ingenium excellens, lectionis copiam, industriam inexhaustam; quodque minus, quam alii scholae scriptores, ineptiuerit.* Deinde Augustini vestigia in doctrina de gratia et libero arbitrio arcte pressit, in Quotlibeti enim I. quaest. 7. negat, *hominem per solam naturalem arbitrii libertatem se ad gratiam praeparare posse*, affirmatque, *ad Pelagianum pertinere errorem, quod homo absque gratiae diuinac auxilio se ad gratiam praeparare possit*, id quod Apostoli effato Phil. I. *qui coepit in vobis bonum, ipse perficiet*, plane aduersetur. Tertio in dogmatibus Theologicis definiendis nullam sibi arrogauit infallibilitatem: morti enim vicinus, a Seruatore nostro feriis precibus veniam flagitavit, si quid in libris suis erroneum scripserit. Denique stupendam ejus industriam comprobant scripta ejus in tanta vitae breuitate admodum numerosa. Ex saeculi vero vitio sequentes contraxit maculas: 1. Immoderatam Philoso-







phiae Aristotelicae ad Theologiam applicationem, quam ipsa Parisensium Theol. fac. in eo improbavit. 2. quod linguarum sacrarum, artis criticae, historiae litterarumque humaniorum parum fuit gnarus. 3. quod in Theologiae dogmatibus diligentior fuit in argumentis metaphysicis, quam scripturae dictis cumulandis. Quae omnia meliori saeculo satis fuisset emendaturus.

Tertius horum Triumvirorum est IOH. BONAVENTURA, qui Romanensibus *Doctor seraphicus* appellatur. Is anno aetatis 22. Francisci regulae se mancipavit. Missus in Parisiensem Academiam adeo strenue *Scholasticae Theologiae* dedit operam, - vt post septennium cum Thoma Aquinate Doctoris Theologiae laurea cingeretur. Lectionibus ergo academicis sacrum codicem sententiasque Lombardi assidue, magno cum applausu est interpretatus. A Gregorio X. ad Lugdunensē ablegatus concilium, ingentem sibi conciliauit existimationem. In eadem vero synodo, anno aet. 53. diem obiit supremum, funereque est elatus, cui par splendore orbis non facile vidit. In primis laudandus, quod contra scholasticorum placita *peccatum originis, et debitae iustitiae carentiam, et concupiscentiam inmoderatam habitumque corruptum esse* docuerit. Morum grauitas denique, ingenii praestantia, cum in nocte illa scholasticorum tanquam primae magnitudinis stellam a coactaneis doctoribus distinxere.

Iam rerum copia spatiique angustia me ex tenebris illis Theologiae scholasticae properare iubet ad sereniora illa Theologiae repurgatae tempora, quae palingenesiam litterarum saeculo XVI. exceperunt, quibus salutiferum generi humano sidus, Christus Iesus, orbi occiduo, serenissimo euangelii fulgore, per stupendos REFORMATORYM labores illuxit. Ex quo tempore, per duo jam saecula cum dimidio, agmina ingeniorum illustrium certatim laborauere in expurganda litterarum Theologiaeque barbarie, in expoliendis elegantioribus litteris, in emendanda philosophia, in excolendis linguis sacris, in genuino diuinorum oraculorum eruendo sensu, per hermeneuticae, philologiae et criticae sacrae adminicula. Quorum quisquis aurum diuinioris sapientiae cum Theologiae scholasticae scoriis contulerit: nae! ille diuinæ prouidentiae erga nostra tempora munificentiam nunquam satis poterit admirari, numquam debitis laudum praeconiis efferre. Habuit nostra aetas in MOSHEMIO, BAUMGARTIO ET





EFFAFFIO theologiae repurgatae Triumuiros, in quibus conspirasse naturae diuinaeque gratiae admirandas dotes, eorum labores, eorum virtutes, eorum praestantissima testantur scripta.

MOSHEMIVS itaque Lubecae 1694 in lucem editus, in Gymnasio patrio humanioribus imbutus litteris, Kilonii sacris philosophicisque disciplinis adeo gnauam dedit operam, vt anno 1718 philosophicae facultatis Adfessor constitueretur. Oblatam vero a Serenissimo Brunsvicensium duce Theologiae professionem in Academia Iulia anno 1723 a solemni oratione *de Christo vnice theologo imitando* est aspiciatus. Ibi totum pene Theologiae ambitum gradatim ita publicis lectionibus pertractauit, vt egregiis suis dotibus Academiam Iuliam insigniter illustraret, exterisque esset admirationi. Sequebantur merita ejus amplissima in eum congesta munera, consiliiarii ecclesiastici et consistorii, Abbatis Mariaeuallensis et Michaelsteiniensis. Imo ad Cancellarii denique in Academia Goettingensi euectus dignitatem, doctrinae scriptorumque praestantia non minorem ei conciliauit famam celebritatemque, vsque ad vitae beatum exitum 1755. Cujus ingenii litteris exarata si spectes monumenta, quid sacris ejus sermonibus efficacius, quid Theologia ejus morali solidius, quid historiae sacrae noui foederis institutionibus praestantius potest cogitari? a quibus omnium scholasticorum medio aeno scripta optima velut nebulosae stellae ab oriente sole obscurantur, ac penitus euanescent.

Excipit Moshemium b. SIGISMVNDVS IACOBVS BAVMGARTIVS, sacrae Theologiae Doctor et in Fridericiana nostra Professor ordinarius, feminarii Theologici Director Regiaeque scientiarum Berolinensis Academiae sodalis. Is anno 1706 Berolini in lucem editus, domestica optimi parentis aliorumque institutione, ea christianae religionis, latinae, graecae et hebraicae, nec non gallicae et italicae linguae posuerat fundamenta, eamque rei litterariae ex praestantissima parentis bibliotheca notitiam collegerat, vt juniorum fratrum ipse praeficeretur institutioni. Ingenii vero praestantia, sincera in deum pietate laborisque inuicta constantia in Paedagogio regio Fridericianaque, in qua cum reliquis scientiis, Rabbinicas, Arabicas, Syriacas Aethiopicisque conjungebat litteras, ac tantam sibi eruditionis copiam, tantam bonorum omnium existimationem, tantam nominis famam conciliabat, vt non immerito de eo fuerit iudicatum: Theologorum admodum esse





paucos, qui Baumgartium iudicii acumine, doctrinae Theologicae ubertate copiaque, laborum communi vtilitate quodammodo aequipararent. Post facratiores disciplinas, Polyhistorum more, in spatiosissimos eruditionis humanae campos euagabatur, cujus in notis emendationibusque vasto illi historiae mundi vniuersalis operi adpersis, in tanta dissertationum, responforum, praefationum copia admiranda edidit specimina. Quae, qui cum vastis *Scholasticorum* contulerit operibus, is ex arenosis sterilibusque Arabum campis reuocatus, in arua quaedam feracissima et insulas quasdam fortunatas sibi videbitur esse translatus.

Tertium locum occupat b. CHRISTOPHORVS MATTHAEVS PFAFFIUS, S. Theologiae Doctor, Superintendens generalis, Academia-  
rum Tubingensis Gieslensisque Cancellarius. Quem praecox ingenium anno aetatis 13. inter academiae ciues in Philologiam sacram, linguas orientales philosophiamque toto ferebat impetu, tanto ardore, vt anno aetat. 16, Magistri consequeretur honores. Viginti annos natus iter ingrediebatur literarium per Germaniam, Daniam, Belgium, Angliam, Italiam Galliamque, quo vbiuis ex doctissimorum hominum colloquiis, publicisque bibliothecis nouos eruditionis colligebat thesauros. Redux Doctoris professorisque Theologiae in Tubingensi Academia ornabatur munere, et ab anno 1720 summo Cancellarii Tubingensis, ab anno 1760 Gieslensis fungebatur munere, vbi anno huius saeculi sexagesimo vitam cum beata morte commutauit. Ex meritis ejus in rem sacram primarium est, quod primus solidioris Iuris ecclesiastici aperuit fontes. Quae vero laus theologorum, quae memoria ad perpetuitatem potest esse beator Pfaffiana, qua nemo vnquam Pfaffio immortalis caelestis veritatis pacisque christianae et ecclesiasticae fuit studiosior. Ter itaque quaterque felicia sunt nostra tempora, prae scholasticae illius seruitutis superstitionisque spissa nocte, quae plena jam sacrorum gaudent libertate, clarissima euangelii perfruuntur luce, et post optimum maximum seruatorem illustrissima Doctorum habent exempla, quorum felicissima premere possunt vestigia. Quibus igitur vestrum, dilectissimi Gymnasii commilitones, non laeua mens est, a limine statim studiorum tantorum virorum intuemini exempla, eorumque legite vestigia, persuasissimi, eandem vobis palmam, eadem diligentiae praemia, eandem denique beati-  
tatem





tatem vobis esse propositam, si pari pietate, pari studio, pari constantia in studiorum vestrorum studio decurreritis. Sed ut ad scopum huius scriptio- nis ex longinquis reuertar ambagibus, VESTRAM AMPLISSIMI Gymna- siii PATRONI FAVTORESQUE AESTIMATISSIMI, honorificam praesentiam fauoremque mente flagito contendoque nominum VESTRORVM obser- vantissima, Tironibus nostris, qui crastina luce, hora a meridie secunda, in sce- nam prodibunt oratoriam, eo ordine, quem sequens tabula vernacula exhibet.



**August Gottfried Litzmann**, aus Halle, handelt von der Vor- züglichkeit, Gebrauch und Misbrauch der Dichtkunst, deutsch.

**Michael Andreas Beyer**, aus Thüringen, beschreibt die Gottesfurcht, als die vornehmste Stütze der Staaten, in deutschen Versen.

**Johann Friedrich Eisfeld**, aus dem Magdeburgischen, betrachtet den Stolz, in einer deutschen Rede.

**Franz Joachim Drensig**, aus Halle, (Anderson)

**Friedrich Daniel Franke**, aus Halle, (Bothwell)

**Johann Christoph Wagner**, aus Halle, (Perrot) und

**Karl Friedrich Fuchs**, aus Halle, (Robert) stellen, in einem deutschen Gespräche, das Lächerliche eines verworrenen und veränderlichen Kopfs, besonders in Absicht auf das Studiren, vor.

**Ludolph Friedrich Wos**, aus Stendal, schildert einsame mitternächts- liche Betrachtungen eines Weisen, deutsch.

**Gabriel Wilhelm Gottlieb Kesperstein**, aus dem Magdeburgischen, öfnet die Aussicht auf ein Schlachtfeld, deutsch.

**Johann Friedrich Jüngken**, aus der Altmark, besingt den Tod und die Auferweckung des Lazarus, in einer deutschen Ode.

Johann







Johann August Uslig, aus Halle, (D. Richard)

Johann August Schäfer, aus Halle, (Warwick)

Johann Christian Jüngken, aus der Altemark, (Gnathon)

Johann Anton Lewiſſon, aus London, (Orgon)

Johann Friedrich Schmidt, aus Halle, (Alceſt)

Johann Friedrich Lange, aus Halle, (Kleon) und

Johann Philipp Eberhard Wohlfahrt, aus Halle, (Tefin) suchen in einem deutschen Gespräche, den Unterschied zwischen Schmeicheley und Zöſlichkeit, zwischen Grobheit und Redlichkeit, vorzustellen.

Christian Gottlob Meyer, aus Poſnan in Poſhlen, erhebt das Chriſtenchum, als die schönſte aller Religionen, deutsch.

Theodor Christian Jekke, aus der Mittelmark, ſchildert ernſthafte Ausſichten in die Zukunft, und ſtattet zugleich der Verſammlung den verbindlichſten Dank für geneigtes Gehör ab, deutsch.

---

P. P. in Gymnaſio die 27. Auguſti, MDCCLXX.



1078



# 1856

8.

P A R  
 THEOLOGIAE TRIVMVIORVM  
 INVICEM CONTENDIT

AC  
 NATALIS CCV.  
 GYMNASII HALLENSIS




AMPL

O

OMER.

TORIBVS



T,

ERTI.

